



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **AUKINA** IN INSULIS SALOMONIIS NOVA
CONDITUR

DIOECESIS AUKINA COGNOMINANDA Qui quattuor modo abhinc annos ecclesiam
communitatem Honiarianam in Salomoniis Insulis laetissimi Nos ad gradum proveximus
Metropolitanae Archidioecesis ob singulares ibidem repertos christiani nominis Ecclesiaeque
Catholicae progressus, hodie nihilo minus iuvat publico quodam testimonio illustrare augescentem
usque florem fidei ac robur institutionum ecclesiasticarum inter eundem dilectum clerum et
populum illius ditionis. Etenim Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, qui negotiis Sacrae
Congregationis pro Gentium Evangelizatione praesident, censuerunt plane convenire rerum illic
condicioni ac prodesse pastoralis curae hominum inibi degentium novam omnino condi dioecesim
ex locis segregatis ab Archidioecesi Honiarana. Quandoquidem iustas eorum rationes
comprobavimus ac praevidemus certissima inde fluxura spiritalia commoda in totam Ecclesiam
Insularum Salomoniarum, de plenitudine potestatis Nostrae apostolicae haec constituimus fierique
iubemus quae sequuntur. Communibus votis obsequentes rationemque habentes consensus
omnium quorum interest, per has litteras ab Archidioecesi Honiarana plagam vulgo nuncupatam «
Malaita District » seiungimus ex eaque efficimus novam dioecesim in Insula Malaita appellandam
deinceps Aukinam, quam simul suffraganeam esse volumus dictae archidioecesi Honiaranae
necnon iurisdictioni Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione prorsus obnoxiam.
Condita autem sic dioecesis sedem episcopalem statuimus in urbe Auki, cathedram vero
collocamus in templo Deo ad honorem Sancti Augustini Hipponensis Episcopi dicato, quod ideo
ad dignitatem cathedralis aedis attollimus, concessis iuribus cunctis ac privilegiis quae hoc genus
templis congruunt. Per alteras autem litteras Nostras ecclesiasticus eligetur vir qui primus quidem
erit Episcopus Ecclesiae Aukinae hodie excitatae. Quae vero hunc ad modum decrevimus, pariter
decernimus ut Venerabilis Frater Franciscus de Nittis, Archiepiscopus titulo Tunetensis et
Apostolicus in Insulis Salomoniis Delegatus, vel quem ipse delegaverit, plenum ad effectum
perducat, omniaque acta ad rem pertinentia ad Sacram Congregationem pro Gentium
Evangelizationem curet perquam diligenter transmittenda. Quibus praeceptis iubemus has
Apostolicas Litteras tam nunc quam in posterum tempus ratas esse, contrariis quibuslibet rebus
haudquaquam obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo septimo mensis
Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quinto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

AGNELLUS Card. ROSSI
S. Congr. pro Gentium Evang. Praefectus

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 3, pp. 258-259

© Copyright 1982- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana